

*Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Post quæ verba idem Evangelista subdit: *Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.* Certissimum dicunt, hos stantes, & audientes, non fuisse Judæos; isti enim verborum illorum sensum, *Eli, Eli, Lammafabacthani,* utrique intellexissent; quia hebraici idiomatis erant verba, quo Judæi loquebantur. Si Judæi non fuerunt, fuerunt procul dubio Gentiles; ac proinde Pilati Lictores, qui insuper Brutii, ex alia ratione, nuper adducta, dicendi sunt.

Sed quam longe, qui ita discurrunt, a veritate aberrant, ex his, quæ subnectimus ad eosdem refellendos, facili negotio Legentibus innotescit. Tempore, quo Christus inter mortales agebat, Judæi non hebraica pura, sed syriaca lingua loquebantur. Pura hebraica deperdita jam fuerat, quando in babilonica captivitate detenti, ex miscela hebraici sermonis, & chaldaici, tertiam linguam, hoc est syriacam, Hebræi illi constituerunt. Eo fere pacto, quo scimus, latinam linguam in ipsomet Latio, ex Barbarorum multitudine, ad latinas oras advenientium, ibique longo tempore commorantium, fuisse deperditam; ex eo, quod eandem cum barbara lingua miscentes, tertiam linguam, hoc est italicam, in Italia Latini generarunt.

Hebræi ergo de vulgo, puram hebraicam linguam non callentes, quid mirum si in intellectu verborum illorum errarunt, & Eliam intellexerunt pro uno ex viginiquatuor Dei nominibus apud Hebræos, quod dicitur *El*, & cum affixo facit *Eli*, hoc est *Deus meus*? Non aliter Italis idiotis contigit, vel etiam Gallicis, & Hispanis, quorum linguæ pariter ex latinæ linguæ corruptione, per illius cum Barbarorum lingua admixtionem, natæ sunt. Hi etenim latinam linguam